









SACROSANCTÆ TRINITATIS

FAVENTE GRATIA,

Autoritate & Decreto,

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI

COLLEGII JURIDICI,

*In almâ Argentoratensium Vniuersitate*

Inauguralem hanc

DE JURE

VECTIGALIIUM,

Disputationem,

*pro consequendâ in Vtroq; Jure Docto-  
randi Licentiâ,*

publicæ & Solemni,

Omniū disquisitioni submittit.

PHILIPPUS GERHARDUS *Lothringshausen/  
Kyrnensis ad Navam.*

*Ad d.*

*Mens. Iunii horis, locoq; solitis.*



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS REPPIL.


ANNO M. DC. XLII

742

7641,6.

26





ILLUSTRISSIMIS  
ET GENEROSISSIMIS

Comitibus & Dominis,

DN. JOH: CASIMIRO. EQ. Aur.

ET

DN. GEORG-FRIDERICO,

Comitibus Sylvæ, Rheni & à Salm/  
Dominis in Binstingen / &c.

Comitibus & Dominis meis  
clementissimis.


HANC DE JURE VECTIGALIU  
DISPUTATIONEM INAUGURALEM.

Devoti Cultus & animi monumentum,  
humilimè

Consecrat, Dedicat,

Philippus Gerhardus Lothringshausen.





P R Æ F A T I O.

**I**N Augustissimæ vectigalium juris materiae latifundio, disputationis periculum facturus, de his imprimis mihi caveo, primum, quod nihil ad captandam auram, minus in ullius prejudicium dictum velim, sed omnia exercitij & veritatis indagandæ causâ, uti per hosce disceptationum moderatarum tramites ad mysteria justitiæ & veritatis pervenire solemus. Dein, ne si forsitan in tractatione tantæ materiæ viribus & facultate destitutus, deficiam, ob id quispiam huncce meum conatum aspernetur, aut me præcipitantia cujuspiam ambitionisve reum postulet. Equidem vulgi verbum: *Regale requirere ingenium, in regalia inquirere*, me non præterit, minus quàm intricata hæc sit materia, & quot difficultatibus obsepta, præsertim ultimis hisce temporibus, ubi quivis ferè pro libitu, autoritatem novis vectigalibus transeuntes pre-mendi, usurpat. Quæ quidem querimonia, quo est vetustior, videatur *P. Heig. 2. quest. 17. num. 1. Arnise. 3. de Jur. Majest. 7. num. 5. Sixtin. de Regal. 6. num. 128. Wesemb. cons. 45 num. 17.* Eò, nunc præsertim, est periculosior, ubi cû Joanne Sichardo, *in Comm. ad Rubr. C. Nova vectigal. instit. non posse*, non tantum vereri licet, ne titulus ille malè in Germania servetur, verùm etiam ne planè pessimè practicetur. Sed cum cogitationes meas, privatus licet, ad publica semper, privatim addixerim, ac Reipubl. tractationi, rerumq; actioni potius,

A 2

quam





quàm aliis consecrarim; Hæc autem materia, tam scitu necessaria sit, cum vectigalia sint patrimonium imperii, *Florus lib. 3. cap. 13. num. 4.* & *Respubl. iisdem sustineatur. Tacit. Ann. 13. cap. 50. num. 2. Novell. 149. cap. 2. Chokier. 2. polit. Aphorism. 10.* quàm præ cæteris frequens, maximè in Germania. operæ precium me facturum mihi persuasi, si in eam penitus inquirerem, atque reperta omnium doctæ disquisitioni solenniter loco inauguralis, subjicerem.

*ut Hymettia sole  
Cera remollescit, tractaque pollice multas,  
Vertitur in facies, ipsoque fit utilis usu.*

### T H E S I S I.

**D**iscutienda autem est in vestibulo disputationis *πολυσημασία* vocabuli vectigalis, quod *ἀνάλογον* est, *Andr. Knich. de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxon. cap. 5. num. 78.* Et accipitur interdum populariter, pro quocunque tributo, stipendio, collectis & subsidiis, tam quæ publico solvuntur, *Chokier. 3. polit. aphorism. 10.* quàm quæ de rebus propriis privatis penduntur, ut ex *l. arbores. §. 9. §. 2. ff. de usufruct. Ciceron. Cornel. Nepot. in Alcibiad. 7. 9. 3. Edit. Clarissimi Dn. Boecleri aliisque, ostendit Nestor. Dionys. de syllab. quantit. p. 131. 6. P. Gregor. 1. syntagm. jur. univ. 3. cap. 4. num. 6. Oldendorp. class. 4. act. 12. pag. mihi 475. numer. 2. Arnise. 3. de iur. Maies. cap. 7. num. 5.* (2) Juridicè, & quidem vel generaliter pro illis rebus & pensionibus, quas ex salinis, conferatur, *Petr. Barbosa. ad l. divor. 8. §. si vir. num. 29. ff. soluto matrim. picariis, Cotoriis, metallis, etc. l. inter publica. 17. §. 1. ff. de verb. signif. Cujac. obs. lib. 7. cap. 4.* Item fundis & agris, qui exindè vectigales dicuntur, publicum accipit. *l. Imperator. 7. l. vectigalia. 10. ff. de publicanis & vectig. l. unio. ff. de loc. publ. fruendo tot. tit. ff. si ager vectig. d. l. inter publica 17. & ibi Dd. ff. de V. S. Agid. Boff. tit. de vectigal. num. 4. Anton. Peregrin. de iur. fisci. Rubr. de Conduct. & Emptor. gabellarum. tit. 5. num. 2. lib. 6. Colleg. iur. Argent. tit. de publican. & vectig. thes. 4.* Vel specialiter & propriè, de illis tantum, quæ populo vel Principi pro avectione vel invectione mercium, debentur *l. ex præstatione. 7. l. universi §. l. 6. C. de Vectigal. & Commis. Salicet. in l. vectigalia. num. 1. C. Nova vectigal. institui non posse.*

*Bertachin.*



744

Bertachin. de gabell. in pralud. Rosenth. de feud. cap. 5. conclus. 33. P. Gregor.  
d. loc. num. 9. Oldendorp. d. loc. Rodin. 5. observ. 88. num. 2. Clariss. Dn. Freins-  
heim. in not. ad Florum d. lib. 3. cap. 13. num. 8. lit. 1. pag. 267.

I I.

Quod vel ex ipsa vocabuli originatione patescit. extra namque  
dubitationis aleam positum est, vectigal à vehendo, vel vectura dici,  
Salicet. in l. 2. C. Nova vectigal. institui non posse. Rosenthal. de Feud. cap. 5.  
conclus. 33. num. 4. Boss. tit. de vectigal. num. 4. Gædd. ad l. 17. numer. 7. ff. de  
verb. significat. Sichard. in Comm. ad Rubr. C. de vectigal. & commiss. num. 6.  
Wesemb. π. de public. & vectigal. num. 2. Crot. traite des tailles & Gabelles.  
p. 19. Sixtin. 2. de Regal. 6. n. 1. C. 1. A. d. loc. th. 3.

I I I.

Dicitur etiam Telonium, Portorium, Pedagium, Guidagium,  
Gabella, Jus Alcavalæ, passim ab Interpp. vocabulis è trivio sermonis  
Græci, Italici, Gallici, Hispanici collectis, forsan malè intellectis. Vi-  
deatur P. Frider. de mandat. 2. cap. 42. numer. 2. v. 3. ubi in notationes  
harum vocum curiosius certè, ne quid durius dicam, inquit.  
Germanis dicitur, Zoll / quod quidam derivant à Græco illo *τέλος*.  
P. Frider. d. loc. alii à tollo, alii à solvo, alii aliundè, qua in re per me li-  
cet cuilibet esse ingenioso.

I V.

Est itaque vectigal Jus summi Imperii certam pecuniam exigen-  
di à quolibet, de rebus quæ mercimonii causa, provinciæ vel civitati  
invehuntur, vel ex eâ evehuntur.

V.

Dividitur quidem à quibusdam Dd. in Haupte vnd Benzoll /  
Wehner. pract. observ. lit. Z. verb. Zoll: ab aliis in *ἐξαγωγικόν* & *εἰσαγωγικόν*.  
Sixtin. 2. de Regal. 6. num. 2. P. Gregor. 1. syntagm. jur. univers. 3. 9. n. 1. à  
nonnullis in Portorium & Pedagium. Et Portorium, unde etiam  
Portitores dicuntur, definiunt vectigal, quod pro mercibus, quæ im-  
portantur & exportantur, præstatur. Cujac. parat. C. de vectigal. &  
commissis. Pedagium verò (quod & Pedagicum vel Pedaticum vo-  
cant) quod ab ipsis transeuntibus exigitur. Coll. iur. Argent. d. tit. de pu-  
blian. th. 4. Sed verendum, ne hæ divisiones sint potius determi-  
nationes vocabuli, in sua significata, aut vocis homonymæ distinctio-  
nes, quàm generis in suas species divisiones veræ. Videatur. Crot. d.  
traite des aydes, tailles & Gabelles. cap. peage. p. 33.

A 3.

Cæpe



V I.

Coepere autem vectigalia cum ipsis imperiis, cum ipsis Regibus nata sunt. *argum. Genes. 47. Aristot. 1. polit. 11. Bullenger de vectigal. pop. Rom. c. 1. ob sustinenda onera Reipublicæ. P. Gregor. 1. syntagm. 1. univ. lib. 3. cap. 3. n. 1. Omnesque gentes hoc tributorum genus probasse ex Nationum moribus observatis, & inprimis Græcorum demonstrat. Alexand. ab Alexandr. 4. Genial. diæ. 10. P. Gregor. d. loc. n. 7.*

V II.

Et in Romana Republica quidem non ab Augusto demum, sed longè etiam antè obtinuisse, ex Ciceronis Orat. pro L. Manilia demonstrat. *Sixtin. d. 2. de Regal. 6. numer. 70. & seqq. conferatur Bullenger. dict. loc.*

V III.

Semper autem penes Principem vel Rempublicam, superiorem non recognoscentem, jus hoc exigendi & instituendi vectigalia, mansit, quoties utilitas & necessitas publica tale quippiam efflagitavit. *l. fin. C. de vectigal. & commiss. Berlich. par. 3. conclus. 52. num. 19. Unde etiam inter Regalia à Frider. I. Imper. (iis enim, qui Frid. II. Imper. hoc adscribunt, historica refragatur fides) in C. un. quæ sint Regalia, & à Maxim. II. Imper. in Recept. Imper. de Anno 1576. pag. mibi 671. §. dardurch. ibi: Soll/gehören zu Kaiserlicher Hocheit vnd reservaten/ refertur.*

V IX.

Ut hætenus licet etiam in foro conscientie, Magistratus summi vectigalium exactio, defendi possit. *Treutler. 2. 18. 9. lit. b. & ibi: Bachov. Et quod seditiosa isti foveant consilia, qui vectigalium exactiones Tyrannidi potius, quàm legitimo Imperio adscribunt, ut eleganter deducit. P. Gregor. d. 1. syntagm. jur. univ. 3. cap. 3. per t. t. Quamvis enim usus viarum publicarum Jure Gentium omnibus sit liberrimus, & tutus, l. fluminum. 24. ff. de damno infect. l. per agrum. 11. C. de servitut. & aqua. Magna tamen cura & sumptibus Principi opus est, ut viam planam & tutam comitantibus præstet, in horum itaq; sumptuum compensationem, commodum hoc meritò pensitatur, qui enim onus sentit, debet etiam commodum sentire. per vulgaria Juris Knichen. de Saxon. non provoc. jur. §. Ducum. cap. 5. num. 78. Sixtin. de Regal. 2. c. 6. n. 35. & 47.*

Hinc



Hinc favorabilia dicuntur vectigalia. *argum. l. i. ff. de loco publico fruend. Novell. 17. c. 7. §. 1.* Ad eò ut defraudans Telonium, etiam in conscientia teneatur; *Bertachin. de Gabell. part. 9. in pr. Rosenthal. c. 5. de Feud. conclus. 43. n. 2. Myns. cent. 5. observ. 29. Borch. de Regal. n. 47. in fin. Quem admodum e contra vectigalia injusta, quorum injustitia à quovis facile animadverti potest. Bachov. d. loc. nec Deo, nec mundo, de fraudans obligatur. Bart. in l. vectigalia. ff. de publican. & vectig. ubi etiam Castrens. Roman. Abb. cons. 13. circa fin. lib. 2. Nat. cons. 655. nu. 7. videatur Covarruv. c. peccatum p. 2. relect. §. 4. n. 5.*

## XI.

Ut itaque ex hoc Oceano, cui Bald. Principem adæquat, omnes reliquæ dignitates, Regalia, Feuda, Privilegia &c. fluunt & in eundem refluant, atq; veluti ex fonte perenni in alios derivantur; *argum. l. i. ff. ad l. Iul. de ambit. l. 5. C. de divers. rescript. l. i. ff. de constit. Princip.* Ita & hoc regale, sive jus exigendi vectigalia ab eodem, ad status Imperii dimanat.

## XII.

Quicumque igitur ex Principibus, Imperatorem superiorem recognoscentibus jus exigendi vectigalia allegant, necessum est, illud quæsitum habeant, ex concessione, & privilegio summi Principis. *l. non solent. 3. C. vectigalia instit. non posse. d. l. vectigalia 10. ff. de publican. & vectigal. cap. 10. de censibus c. super quibusdam §. præterea. de V. S. post plurimos à se allegatos Farinac. de furt. 9. 173. num. 86. Trentacinq. var. resol. lib. 1. tit. de Jur. Fisci. resol. 5. num. 1. Ioan. Koëpp. decis. 50. n. 2. Knich. de Saxon. non provoc. Jur. verb. Ducum Saxon. c. 5. n. 68.*

## XIII.

Ad eò ut etiam Electores, qui licet aliàs pro excelso suæ dignationis gradu præferendi, teste *Rosenthal. de Feud. c. 5. concl. 13. n. 12.* tamen nõ possint, nova vectigalia suo Marte instituire, sed autoritas publica & concessio Imperatoria, effligitanda est, *Elegans text. Im Schwabenspiegel Landrecht. cap. 12. num. 4. ibi: Alle Zöll die im Römischen Reich seind / die sind eines Römischen Königs / vund wer sie haben will / er sen Pfaff oder Lan / der muß sie haben von dem Römischen Reich vnd Römischen König: &c: & paulò post. d. cap. n. 3. Wir verbieten allen / die in unserm Reich seind / daß sie keinen Zoll erhöhen ohn unser.*



vnser Verlaub. cui ad stipulatur text. in Reichs Abs. de Anno 1576. d. 5.  
Weiters &c: ibi: Sondern weil auch das alles / zu vnserer Kaiserl.  
May. besondern (nota particulam exclusivam) Hoheit vnd Reserva-  
ten / so wol auch zu vnser Kaiserlich en vnnnd der Churfürstlichen Re-  
putation / veracht vnnnd schmälierung / de facto durchbracht werden  
will. &c.

XIV.

Imò ne augere quidem vetera vectigalia licet, sine præscitu &  
permissu summi Principis, d. l. vectigalia 10. ff. de publican. & vectigal. Sa-  
licet. in l. 2. C. Nova vectigal. & c. Bertachin. de Gabell. in pr. num. 12. Roland.  
à Vall. cons. 42. num. 12. volum. 3. Auctio namque veterum & constitu-  
tio novorum, pari passu ambulant, textus elegans in l. vectigalia 10. ff.  
de publican. & vectigal. videatur Rosenthal. de Feud. cap. 5. conclus. 44. nu. 8.  
Reichs Abschied. Anno 1576. & §. Weiters find auch wir. ibi: zu Was-  
ser vnd zu Land / theils newe Zoll anzustellen / theils ihre alte Zoll zu er-  
steigern angefangen / vnnnd dasselbe auch zum theil / vnderm Nahmen  
Vnqaelts auffschlagen / Brückengelds / oder Weggelds / vnnnd was des  
Sch. ins mehr / &c. Joseph. Ludov. com. conclus. 15. nu. 4. Aug. Bero. cons. 37.  
lib. 3. Wesemb. cons. 45. n. 45.

XV.

Ne itaque quispiam statuum Imperii, Imperatori supplicando  
obrepat, & tale privilegium obtineat, ex compacto, quod usus ap-  
probavit, hodiè in Imperio Romano præter autoritatem Imperatoris,  
& Principum Electorum consensus requiritur. Goldast. Reichsfa-  
bung. tom. 2. pag. mihi 141. n. 17. capit. Carol. V. artic. 18. quam refert Sle-  
idan. lib. 1. An. 1519. Wir sollen vnnnd wollen auch insonderheit / die weil  
Teutsche Nation vnnnd das H. Römische Reich / zu Wasser vnnnd zu  
Landt / zum höchsten vor damit beschweret / nun hinfüro keinen Zoll  
von newem zeben / noch einigen alten erhöhen / ohne besondern Rath /  
wissen vnd zulassen der Sechs Churfürsten. videatur Tob. Paurmeister.  
tractat. de Iurisdic. Imp. 1. c. 4. n. 26.

XVI.

Quod & alia regna, Imperii Romani æmula, ut Galliarum. Bodin.  
de Repub. lib. 6. cap. 2. Hispaniarum. Girond. de gabell. in prælud. num. 25.  
Parlador. 1. rer. quotid. cap. 3. num. 13. Suarez de ll. lib. 5. cap. 17. Hungariæ,  
Angliæ, Heig. quæst. 18. n. 7. & 8. par. 1. fol. mihi 251. P. Gregor. d. l. n. 8. imita-  
ta, monumentis scriptorum attestantibus. vide Daviel. Otto. dissert.  
jur. publ. c. 11. fol. mihi 297.

Pœna



XVII.

Pœnæ insuper variæ sancitæ, contra illicita talia vectigalia, quocunque prætextu instituentes, vel augentes vetera, non modo *L. Julia de Ambitu. l. 1. §. 3. ff. ad L. Jul. de Ambitu. Cujac. in parat. C. vectig. nova &c.* Verùm etiã contra exactores pœna *L. Julia de vi publ. l. fin ff ad L. Jul. de vi publ. Cujac. d. tit. Frid. Mind. de Mandat. cap. 42. num. 2.* Quàm graviter seculis anterioribus in usurpantes iam memoratam licentiam, animadversum fuerit, Historicorum monumenta contestantur. More & jure Germanorum antiquo, si nobilis quispiam in scio Imperatore, vectigalia nova imposuerat, *Mit dem wurd vmbß Pferdt Turnieret / vnd auff die Schrancken gesezt. Turnier Ordnung. Henr. Aucup. articul. 9.* maximum olim Nobilitatis dedecus. *Recess. Imp. de Anno 1236. cap. 10 apud Goldast. in constit. Imper. pag. mihi 82.* disponitur. *Das niemãnd keinen Zoll nehme / wann zu recht / wer das breche / den soll man halten für einen Strassen Rãuber &c.* Ipsæ quoque civitates has novitates aliquoties amovere adnixæ sunt. Cum enim Carol. IV. ad complacendum Principibus Rheni, quorum suffragio ad Imperii fastigium conscenderat, nova vectigalia imposuisset, inclitya hæc Argenteratensium Respublica justè & strenuè se opposuit, & Rhenum catenis lignisq; ita clausit, ut naves neq; ascendere, neque descendere potuerint, videntes itaque Principes, se tam novi, quam veteris portorii proventibus spoliari, concordiam cum Argentinensibus iniverunt, & veteribus contenti, novis renunciarunt. *ex Tritheimio in Chron. Spanheim Anno 1351. pag. 324. & in Chron. Hirsaug. eod. An. pag. 246. refert Daniel Otto d. l. Henr. Klock. discept. de vectigal. jure dicta thesi. 94.*

XVIII.

Et in Camera Imperiali, contra istiusmodi vectigalium illicitorum exactores, de iis non exigendis, mandata inhibitoria, pro jam exactis verò restitutoria impetrari solent. Quod multis præjudiciis evincere possem, sed res est aded nota, ut Noctuas Athenas deferret, operam in his colligendis impendens, videatur *Rosenthal. de Feud. c. 5. conclus. 13. num. 12. P. Frid. d. l. Rodinger. 5. observ. 88. n. 3. præjud. Camer. in verbo Zoll. pag. 350. Capycius decis. 148.* Imò etsi vetera vectigalia non quidem aucta, de uno tamen eoq; consveto loco in alium cum præjudicio eorum, qui vectigal pendere coguntur, translata sint, mandata sine clausula decerni præjudicio firmatum esse, apud *Gylman. P. Frieder. d.*

B

der. d.

55.  
erl.  
va-  
Re-  
den  
  
i &  
Sa-  
nd.  
tu-  
p. ff.  
u. 8.  
das  
er  
nen  
desß  
37.  
  
ido  
ap-  
oris,  
ssa  
slei-  
veil  
d zu  
Zoll  
ath/  
eist.  
  
din.  
25.  
ria,  
ita-  
fert.  
  
ena



der d. loc. & Consultissimum Dn. D. Becht. in tr. de securitate thes. 59. videre est.

XIX.

Mâlè itaque jus instituendi, exigendi vectigalia, jurisdictionis altæ, quam dicunt, sive meri & mixti Imperii esse, dicitur. conferatur Knichen. d. tr. de Saxon. non provoc. Iure. V. Ducum. c. 5. num. 72. Rosenth. de Feud. §. conclus. 44. n. 2.

XX.

Quæ de Principibus Italiæ & imprimis Ferrariæ Ducibus, etiam civitate Genuensi, Dd. disputant, eos jus hoc nova vectigalia instituendi habere, hac vice mea non faciam. videatur Iacob. de S. Georg. de Feud. §. Dux. quest. 1. num. 5. pag. mihi 7. P. Gregor. 1. syntagm. jur. univ. 3. 4. n. 2. p. 68. Knichen. tract. de Sax. non provoc. jur. verb. Ducum. c. 5. numer. 66. & 68.

XXI.

An verò tempore immemoriali, jus hoc vectigal exigendi ab inferioribus acquiri possit? acerrimè sæpius disputatum fuit, & videntur affirmantes palmam deportasse. per d. c. super quibusdam 26. §. 1. extr. de V. S. l. ult. C. vectig. nova. Cum tale tempus vim habeat constituti. l. hoc jure utimur. 3. §. 4. ff. de aqua quodid. & c. C. I. A. d. l. thes. 5. Mynsing. 5. observ. 29. num. 6. & obs. 50. Ægid. Bos. tit. qui vectigalia imponere possunt. num. 3. & 5. Capic. decis. 148. num. 4. Panorm. in all. cap. de V. S. Roland. Vall. 2. cons. 91. num. 12. cum seqq. fol. mihi 325. Georg. Schœnborn. lib. 4. polit. c. 25. pag. mihi 443. Knichen. in comment. de privil. Saxon. in verb. Zoll. Waremund. ab Erenberg. c. 5. de reg. subsid. ac oner. subditor. num. 12. 13. & c. usque ad num. 27. Regner. Sixtin. tract. de Regal. lib. 2. n. 56. ubi quamplurimos in hanc sententiam allegat.

XXII.

Quicumque itaque jus hoc legitimè acquisivè, & illi bonâ conscientia exigere vectigalia possunt, text. in sæpius allegata l. vectigalia 10. C. de vectigal. & commissis. l. 1. l. non solent 3. l. 4. dict. tit. Et quidem ab omnibus qui privatam vitam degunt & viis publicis utuntur, sive sint provinciales sive peregrini. Omnes enim huic oneri solvendi vectigal obnoxii sunt. l. omnium. 6. l. universi. 5. C. de vectigal. & commissis. Marg. Roland. de commissis. 4. lib. 2. c. 5. n. 22.

Nisa



Nisi quispiam ex privilegio immunitatem ab eo habeat. l. penult. C. nova vectigal. & c. l. sunt munera. 11. in fin. ff. de vacat. & excusatio. munerum. Ut sunt (1) Navicularii. l. omnium 6. in fin. C. de vectigal. & commiss. (2) Personæ Ecclesiasticæ. Auth. item nulla. C. de Episcop. & Cler. cap. presenti. 3. Clement. de censibus. Roland. à Vall. conf. 61. n. 2. vol. 3. (3) Studiosi & eorum nuncii Dd. communiter, vid. Pacium ad Auth. habita C. Ne filius pro patre. Quod enim ibi dicitur, veniant & habitent securè, operari aliquid debet ultra communem sensum, arg. l. si quando 109. ff. de legat. 1. Ægid. Bos. qui vectigalia solvere venentur. Rebuff. de privileg. studios. privil. 146.

## X XIV.

An etiam milites? Nego, per leg. omnium 6. l. ex præstat. C. de vectigal. & commiss. quod enim Nero cavit, ut militibus immunitas à vectigali servaretur, nisi in his, quæ vano exercerent. & c. id brevi servatum, deinde frustrà habitum esse. ex Cornel. Tacit. Annal. lib. 13. c. 51. num. 2. & 3. Edit. Bernegg. patet. Quamvis vestigium aliquod veteris libertatis in eo remanserit, ut à vectigali, quod in Nundinis penditur, liberentur. l. 1. C. de veteran. lib. 12. ibiq. Luc. de penna.

## X XV.

Utiliter non minus, quàm necessariò quæritur: An etiam Principes, Comites, Barones, & Nobiles Imperii immunes ab hoc onere sint? Nego. Cum, quod jure communi Imperator à vectigali duntaxat exemptus sit, l. locatio 9. §. 8. ff. de publican. & vectigal. Tum, quod neque consuetudo Germaniæ his immunitatem concedat, Ordinatio des Regim. zu Augspurg. Rubr. & tit. Alle so in des H. Reichs Regiment gehörig. & c. fol. mihi 40. Ubi Imperator Principibus ad Regiment Imperii selectis hoc privilegium dat, ut sine vectigali nothdürfftigen Proviant advehere possint. Frustrà autem id factum fuisset, si consuetudo generalis eos iam antè exemisset.

## X XVI.

An vectigal ob transitum solummodò pontis solvendum, evitetur transeundo per vadum? Affirmo. Bald. conf. 140. num. 4. vol. 5. Schneidevv. p. 2. de feud. num. 114. Bos. tit. quo loco vectigal. solvend. num. 1. de hoc etiam in capitul. Lothar. lib. 4. art. 31. singularis prodita lex est,

B 2

ut ne-



ut nemo cogi debeat pontem transire, si juxta pontem flumen transi-  
re velit. videatur *Henr. Klock. d. discept. thes. 72. Rosenthal. de Feud. 5.*  
*39. 3.*

## XXVII.

Et de omnibus rebus, quæ mercimonii causâ provinciæ vel ci-  
vitati invehuntur, vel ex ea evehuntur. *d. l. omnium 6. C. de vectigal. &*  
*commis. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 6. in prin.*

## XXVIII.

A qua tamen regula excipiuntur. (1) Res exercitui paratæ. *l. locatio 9. §. 7. ff. de public. & vectigal.* (2) Res quas fiscus advehi curat, non  
quas alii ab eo emere. *d. l. §. 8. ff. eod. l. universi. 5. C. de vectig. & commis.*  
(3) Quibus personæ Ecclesiasticæ opus habent, modò cum illis nul-  
lam exercent mercimoniam. *d. c. present. ul. Clement. de censib.* (4) Aut  
Præsides in usus advehi jubent. *d. l. universi C. de vectigal. l. si publicanus.*  
*§. 1. ff. eod.* (5) Sic etiam eximuntur res, quas studiosi vel scholares,  
studiorum gratia invehunt, ut sunt libri scholarum. *Dd. in d. Auth.*  
*Habita. C. Ne filius pro Patre. Salycet. in d. l. universi C. de vectig. & commis.*  
quia in præcipuo usu scholaribus sunt libri. *Sichard. C. dict. tit. num. 10.*  
(6) Sic res, quas agricolæ ruris exercendæ ergò evehunt, vectigal  
non solvunt. *l. universi, ubi gloss. C. de vectigal. & commis.* (7) Nec non  
illæ, quas legati Devotarum gentium ex solo Romano, lege permit-  
tente ad proprium deferunt. *l. à legatis 8. d. tit. eod.* (8) Omnes demiq;  
res, quæ ad proprium alicujus usum, hoc est, victus gratiâ, *l. in lege*  
*censoria 203. ff. de V. S.* ab aliquo advehuntur immunes ab hoc onere  
sunt. *l. universi 5. C. de vectigal. & commis. l. si publicanus 4. §. 1. ff. de publ.*  
*& vectigal. Roland. à Vall. conf. 34. numer. 15. & conf. 42. num. 28. volum. 3.*  
*Surd. conf. 41. nu. 3. Bursart. conf. 42. num. 4. Hotom. conf. 12. n. 15. Peregrin.*  
*de Iure fisci lib. 6. tit. 5. num. 23. quamvis privilegium. EE. Palatinis à D. Ma-*  
*ximiliano. 1. Anno 1518. Concessum: Daß sie von einem jeden fuder*  
*Wein/so durch oder auß ihrem Fürstenthumb / Landen vnd Gebie-*  
*then der Pfalz / auch den Flecken / so sie mit andern in gemeinschafft*  
*haben zu eigenem gebrauch / oder auch zu verkauffen geführet / einen*  
*gulden zu Zoll / in Wasser vnd zu Land auffheben. oder einnehmen*  
*mögen. Henr. Klock. d. discept. th. 59.*



Quomodo verò dignoscatur, rem proprii usus gratiã advehis  
judicis est discernere. *Bald. in sape d. l. universi C. de vectigal. & commiss.*  
ubi dicit, recurrendum esse ad indicia vel conjecturas, quæ sumuntur  
à qualitate rei, à quantitate, à Persona quæ vehit & c. *Sichard. in Com.*  
*C. de vectigal. num. 10. C. l. A. tit. ff. de publican. th. 10.*

## X X X.

Verùm an etiam id, quod quis domus suæ ædificandæ gratiã ad-  
vehi curat, ad proprium usum spectare dicatur, sicque à vectigali  
exemptum sit? Nego: *d. l. in l. Censoria 203. ff. de V. S. gloss. in præall. l.*  
*universi C. de vectig. & commiss. Guido Papa quæst. 4. fol. mihi 12. Sixtin. de*  
*Regal. 2. c. 6. num. 133.*

## X X X I.

An de pecunia numerata vectigal solvendum? Non una ac eadem  
est Dd. sententia, nonnulli affirmant, quod videlicet de omnibus re-  
bus, quæ commercio subjacent, solvatur vectigal. *per text. in sep. citat.*  
*l. omnium 6. C. de vectigal.* siquidem sub rerum & quidem mobilium  
appellatione comprehenditur pecunia. *Gail. obs. 11. lib. 2. maximè si ad*  
*mercaturam data sit, Pinel. in l. 1. p. 2. num. 44. C. de bonis matern.* Verior  
& æquior tamen mihi negativa videtur, pecuniam scilicet immunem  
esse. videatur *Henric. Klock. sæpius allegat. disput. de jure vectigal. thes. 60.*  
Ubi Cæsareum de super laudat rescriptum consulenti cuiuspiam, cujus  
nomen literis initialibus tantum notat (absit ut suspicer commenti-  
tium esse, sit tamen fides penes ipsum) 25. Novembr. Anno 1603. factum,  
ubi hæc habeantur verba, daß mann vom Gelde niergend im ganzen  
Reich Teurscher Nation einigen Zoll zu bezahlen pflege.

## X X X I I.

Licet autem in dubio, an vectigal debeatur vel ab eo res perfo-  
nave immunis sit, pro libertate & immunitate præsumatur, *ex text. l.*  
*altius 8. C. de servit. & Aqua. Surd. cons. 74. Hotom. cons. 12. n. 9. Decius cons.*  
*485. n. 5. Sixtin. d. loco num. 143. Bursat. cons. 186. num. 27. & Ioseph. Ludovi-*  
*cus conclus. 15. num. 27.* Fieri tamen professio earum rerum, etiam ve-  
ctigal non solventium debet apud Publicanos, *l. ult. § 3 ff. de publican.*  
*& vectigal.* ubi quoque *Bart. eodem § divus Cusac. observ. lib. 14. c. 3. qui*  
*secundum loci consuetudinem interdum profitentibus immunita-*



etis schedulam, Zoll five frey Bedel tradunt. *Wehner pract. observ. vocabu-  
lo Zoll. pag. 719.*

XXXIII.

Et imprimis hoc privilegiati cavere debent, ne res alienas immu-  
nes suis misceant, & sic subdole simul transvehere audeant, præsen-  
tissimum enim est periculum, ne suæ cum illis dolo hoc detecto pe-  
reant. *Clar. §. final. pract. crim. quest. 82. statut. 7. nu. 9. Boer. decis. 178. n. 24.  
Guid. Pap. decis. 572. Personal. de Gabell. n. 145. Gravett. conf. 6. n. 97. Wehner.  
d. loco. Koepen. decis. 5. n. 14.*

XXXIV.

Fieri autem debet vectigalium exactio, taliter qualiter privile-  
gium Principis concessit, aut consuetudo confirmavit. *l. si provincia-  
lium pen. C. nova vectig. instit. l. si publicanus 4. §. 2. ff. de publican. & vectig.  
Spiræ publicanus non in Civitate, sed suburbiis, den Jagzoll petere  
potest. Chron. Spir. lib. 4. c. 24. Rubr. Von dem Zollers Endt. Et Publica-  
nus colligens ibidem den Pfundzoll/cavere sibi debet, ab ædibus mer-  
catoriiis, ne eas intret, aliàs acceptum vectigal perdit, Chron. d. loco.  
Henr. Klock. d. discept. th. 74.*

XXXV.

Olim fuit pars octava *l. ex præstatione 7. C. de vectigal. l. Romana.  
2. C. de Eunuch. l. si cum hermes 7. C. de locat. & conduct. unde & illi, qui  
talia vectigalia exigebant. Octavarii dicti. l. à legatis 8. C. de vectigal.  
& commiss. Sixtin. d. l. num. 64. & 65. Rosenthal. de feud. cap. 5. 35. 1. Quam  
si quod vectigal excedat, Doctores Barbaricam exactioem dicunt,  
& consuetudinem impiam. Sixtin. d. l. 2. de Regal. c. 6. num. 78. videatur  
Petr. Gregor. 1. syntagm. jur. univers. libr. 3. cap. 3. numer. 11. Schoenborn. 4.  
Polit. 25.*

XXXVI.

Illud certissimum, uniformem omnium vectigalium præstatio-  
nem & exactioem, nec olim fuisse semper nec etiamnum hodiè ef-  
se, de illis docent & testantur, Historici, Tacitus, Suetonius, Florus,  
Dio. &c. Vide *Cujac. observat. libr. 6. cap. 28. De his, & quantum solvi  
oporteat, consuetudines locorum consulendæ. d. l. si publicanus 4. §.  
ult. ff. de publican. & vectigal. Gæden. conf. 8. num. 1. & conf. 7. numer. 18. in  
fin.*



fin. Bursat. conf. 138. num. 12. Roland. à Vall. conf. 79. n. 80. vol. 3. fol. mihi 291.  
Gravett. conf. 96. n. 4.

XXXVII.

Irrationabilem etiam consuetudinem illam dico, quæ res ipsas, five partem rerum vectarum non pecuniam, pro vectigali exigit, cum Schneidevv. §. capite 3. num. 3. Inst. ad L. Aquil. Sixtin. d. l. 2. de Regal. cap. 6. numer. 81. Bocer. de Regal. c. 2. num. 196. Colleg. Iur. Argent. dict. loco ibes. 4.

XXXVIII.

Vectigali itaque exacto & soluto, Dominus territorii qui illud exigit, viam commeantibus securam, & indemnem transitum præstare debet. Reichs Abschied. citat. cap. de Anno 1236. 10. num. 3. Goldast. constit. Imper. tom. 1. dict. pag. 82. Alle die Zöll nemmend auff Wasser oder Land/die sollen den Wägen vnd Prücken ihr Rechte halten/mie machen vnd mit besserung/vnd von denen sie die Zöll nemmen / sollen sie beleiten nach ihrer macht/als fern ihr Gewalt gehet/das sie nichts verlieren.

XXXIX.

Qui verò ex commeantibus vectigal non solvunt, fraudulenter, hoc est, scienter & de industria, die die Wahren betrüglich leugnen/oder sonsten den Zoll vorseztlich / wissentlich entführen/ oder verfahren / illi res suas, quales, quales fuerint, perdunt, quod dicunt in commissum cadere. l. cotem. 11. §. dominus 2. l. interdum 16. §. 3. 10 & 11. ff. de publ. & vectigal. Bald. conf. 256. num. 2. volum. 4. Cujac. in parat. C. de vectigal. Hartm. Hartm. p. 2. obs. tit. 48. obs. 1. Coler. decis. 190. num. 1. Quamvis Jure Hispan. mitior pœna in mercatores improfessis (liceat cum l. eto ex l. fin. ff. de public. sic loqui) mercibus transeuntes constituta sit, ut quadruplicatum vectigal solvant, ex Azeved. ad constitut. Reg. libr. 6. tit. 11. l. 7. num. 9. refert Henr. Klock. discepr. alleg. th. 85. & Iure Saxon. Wer Prücken oder Wasserzöll entführt / der soll ihn vierfältig vergelten. Sachs. Landr. lib. 2. tit. 27. in prin. Coler. de process. execut. p. 1. c. 3. num. 15. à quâ tamen pœnâ consuetudine recessum esse testatur Modest. Pistor. conf. 48. num. 16. libr. 2. Ioann Koeppen. decis. 50. num. 8. Sixtin. d. l. num. 169. Carpzov. in Iurispr. for. 4. constit. 41. de fin. 15. Berlich p. 1. concl. 73. nu. 137. Matth. Coler. de Process. Execut. p. 1. c. 2. n. 182.

Semel





X L.

Semel autem commissum obtinet, et si quis postea paratus sit solvere vectigal, nisi iusta causa & legitima, quem ab hac poena excuset, argum. l. is cui 19 ff. de legat. 2. l. apud Aufidium 20. ff. de Optione legat. l. qui ob rem. 38. ff. de condict. indeb. Farinac. in pr. crim. q. 11. numer. 102. vers. ampl. hanc quintam, in terminis Modest. Pistor. cons. 48. num. 33. & seqq. volum. 2.

X L I.

Quid si se ignorasse dicat, an nihilominus in poenam vectigalis incidat? Affirmo: quoniam huiusmodi ignorantia de re apud omnes gentes usitata, crassa est, & debuisset ac potuisset, interrogando facile fieri certior, l. interdum ult. §. licet quis, 5. ff. de publ. & vectigal. Bos. tit. de fraud. vectigal. num. 7. Peregrin tit. de conduct. & empt. gabell. num. 31. in fin. Gravett. cons. 115. n. 3. Sixtin. d. l. n. 194. Schoenborn. 4. polit. 27. in fin. Videatur etiam Rodin. 5. obs. 88. n. 4. Gail. 2. obs. 48. n. 26.

X L I I.

Quid si Auriga ex conventionem solvere debuisset, nec fecisset, an nihilominus res in commissum cadant? Non levis quaestio est, in cuius decisione magni nominis Jurisconsulti discordes sunt, affirmativam sententiam defendunt. Bald. in l. cum proponas. C. de Naut. faenore. Kæppen. decis. 50. num. 22. Rosenthal. de feud. c. 5. conclus. 39. lit. d. in gl. The-saur. quest. forens. 15. quem refert Wurms. Exercit. 6. quest. 18. Ubi pro fisco contra mercatores pronunciatum fuisse dicit. Alex. cons. 95. num. 11. volam. 1. Natt. cons. 564 nu. 15. pag. mihi 207. Pfeil. cons. 177. n. 3. Cacheran. decis. 87. num. 7. Gail. 1. obs. 45. num. 1. Qui Dd. sententiam hanc ita mitigant, & temperant ut, quando Ductor mercium pauper est, restitutionem in integrum largiantur Domino, Ferret. de Gabell. n. 57. Roland. à Vall. consil. 42. numer. 30. tom. 3. pag. mihi 149. Ludov. comm. conclus. 15. num. 74.

X L I I I.

Et transit Dominium rerum commissarum ex causa fraudati vectigalis, ipso jure in Dominum territorii. l. commissa. 14. ff. de publican. & vectigal. gloss. in l. 1. §. quod ait ff. quod quisq. Univerfit. nomin. Salicet. in l. neque, 2. num. 1. C. de vectigal. & commiss. Roland. à Vall. cons. 42. num. 1. & 5. lib. 3. hanc sententiam communem esse dicens. Ioan. Sichard. in C. de vectigal. & commiss. num. 11. & statim illius, qui crimen contraxit, esse



esse desinunt, *text. in d.l. commissa, 14. ff. dict. tit. de publican. &c.* Ità ut Domino territorii pro re commissa consequenda, adversus fraudantem ejusque heredem, & quemcunque alium possessorem, rei vindicatio competat, quæ quidem per quinquennium omissa perit *text. in l. 2. C. de vectigal. & commiss.*

X L I V.

Ob contradictionem tamen partis, sententiã declaratoriã, per quam possessio eidem auferatur opus esse, communiter & rectius statuitur. *Bald. in l. si quis in tantam. C. unde vi. Mandanus de Mandat. libr. 2. cap. 43. num. 5. Borchold. in explic. cap. un. quæ sint Regal. ubi dicit, in hoc omnia jura mundi consentire. Knichen d. loc. c. 5. num. 92. Schœnborn. 4. polit. 27. Gail. 2. obs. 51. num. 5. & lib. 2. de pace publica cap. 3. num. 11.* Aliud tamen generali observari consuetudine, quã obtinere, ut fiscus earum rerum, de quibus vectigal solutum non fuit, possessionem propria authoritate apprehendere possit; testatur *Hartm. tit. 48. observat. unic. num. 14. Ioan. Kœppen. decis. 50. num. 11.* qui hanc in rem à Sixtino quoque *d. l. n. 173.* allegantur.

X L V.

Possunt etiam non solventes vectigal pignorari & arrestari, modò de crimine fraudationis auriga convictus vel confessus sit, sin verò neget delictum, ad hoc ut arrestum relaxetur, satisfacere debet iudicio fisci. *argum. l. 7. §. fin. ff. qui satisfac. coguntur. Coler. p. 1. c. 3. num. 76. Carpzov. Jurisprud. forens. constit. 27. def. 2.*

X L V I.

Pupilli tamen, si intra trigesimum diem vectigal solvunt, ab hac commissa pœna liberantur. *l. Imperatores. 7. §. fin. ff. de publ. & vectigal.* Nec non minores, si ex parte illorum dolus non intervenerit, in integrum restituuntur. *l. si ex causa 9. §. fin. ff. de Minor. Schœnborn. d. l. Sixtin. d. l. n. 185.* Milites etiam peculiari privilegio hac pœna eximuntur *text. in l. omnibus 3. C. de vectig. & commiss. Schœnborn. d. l.*

X L V I I.

Deberem etiam alias insuper actiones, quæ pro conservando hoc jure, Dominis territorii competunt, hîc commemorare, & sicuti consti-

C




constitueram de iisdem differere ( de quibus prolixè agit *Regner. Sixtin. in d. rr. 1. de Regal. 7. per tt. & Henr Klock. d. disput. de vectigal.* ) nec non de modis amittendi jus hoc, nempe de præscriptione, (quam quæstionem distinctione declarant, & decidunt. *Hartm. Hartman. 2. observ. 2. num. 7. Rosenthal. de feud. cap. 5. conclus. 45. numer. 4. Sixtin. 2. de Regal. 6. num. 60. & num. 103.* nec non de revocatione summi Principis, (qua de controversia laudatus *Sixtinus agit. d. l. num. 9.* ) item, An alienatione quis in alium jus hoc transferre queat? (videatur *Sixtinus. d. l. num. 86. Schœnborn. 5. polit. 7.*

Verùm cum temporis angustia, quâ circumscribor, & rerum mearum status, præter spem ab instituto hoc meo prosequendo me defendant, nec longiores hic trahere moras patiantur. Dissertationis cæptæ filum abruptum, calamumque depono.

DEO OPT. MAX. SIT LAUS  
HONOR & GLORIA.







Nob: ac præcellentissimo Domino  
Candid: Doctorando.

**P** Rincipe vox digna est, ac Majestate Regentis,  
Magni Justini, majoris verba Nepotis:  
O Studiosè, lubens leges, ait, accipe nostras,  
Et post edoctum te sic ostende cui vis,  
Ut credenda tibi Res - possit - publica nostra:  
Parte vel in toto moderarier atque beari.  
Tum tibi promerito tribuam, sis certus, honores,  
Nec deerunt unquam sat premia commoda vite.  
Hæc **LOTHRINGSHAUSEN** noster sibi dicta putavit,  
Sedulus ut Musis animum dicarit amore,  
Hinc porrò ingressus penetralia juris & æqui,  
Splendida justitia mox fundamenta locavit,  
Jam condigna suæ doctrina publica præbet  
Signa, brevi qualem post florida laurea cinget:  
Scilicet ut genius, fors! jussit patrius olim,  
Propria vel virtus, vel functio **RHEINGRAVIANA**,  
Perge igitur doctè, Doctorum jura capesse,  
Sic tua laudabunt sanctæ conamina Musæ  
Atque dabit sacra Themis, consultor ut æquus  
Sis, maneatque diu felix in flore, salute.

1.4. C. de leg.

§. fin. procem. inst.

Nov. 13. c. 4.

Novell. 1. in fin.

Properante ac rudi Minerva

Honoris, amoris ac congratulationis  
ergò scripsit

Theodorus Heill, Marco. Westphalus



Proprietate acendi Minerva  
Elementis, amantem congruam  
ergo scriptis  
Theodorus I. Ill. Marq. Westphalus



ULB Halle  
005 714 745

3




VD17












SACROSANCTÆ TRINITATIS <sup>742</sup>  
FAVENTE GRATIA,  
Autoritate & Decreto, <sup>1641,6.</sup>  
NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI <sup>26</sup>  
COLLEGII JURIDICI,  
*In almâ Argentoratensium Vniuersitate,*  
Inauguralem hanc  
**DE JURE**  
**VECTIGALIIUM,**  
Disputationem,  
*pro consequendâ in Vtroq; Jure Docto-*  
*randi Licentiâ,*  
publicæ & Solemni,  
Omnium disquisitioni submittit.  
PHILIPPUS GERHARDUS *Lothringshausen/*  
Kyrnensis ad Navam.  
*Ad d. Mens. Iunii horis, locoq; solitis.*  
  
ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS REPPIL.  
ANNO M. DC. XLII

